

cum non eas portet ut persona publica, sed privata. Si hujusmodi reliquæ in pretium turpitudinis darentur amasæ, sacrilegium, & simonia foret: tunc etiam daretur gravis irreverentia eas turpi actui subijciendo, & in valore comparando. Si vero in signum gratitudinis ei donentur, esto indecens sit, non est tamen sacrilegium, nec simonia.

143. Inq. 6. An peccatum luxuriæ, in diebus festivis commissum, sit sacrilegium? R. neg. quia dies festi solum violantur per opera proprie servilia, peccata autem non proprie, sed mystice sunt servilia. At si in die Veneris sancti, imo & tota hebdomada majori comedie, & alia publica spectacula exercerentur, proculdubio esset sacrilegium: quia rationi naturali dissonat, ut tempore ad compunctionem, & meditationem nostræ redemptionis per passionem, & mortem Domini ab Ecclesia destinato, hujusmodi ludis, & comediis fideles voluptuose vacent. Vid. tract. 14. n. 22.

## CAPUT III.

## De vitio contra naturam.

## PUNCTUM I.

## Notio, &amp; divisio hujus flagitii.

144. Inq. 1. Quid sit vitium contra naturam? R. est *indebitus usus venereorum contra ordinem naturæ*. Primæ particule ponuntur loco generis: quia in omni specie luxuriæ datur *indebitus usus venereorum*. Ly *contra ordinem naturæ* habet rationem differentie: quia talis usus pervertit ordinem generationis, ad quam natura actus venereos ordinavit. Et licet omnia peccata sint quodammodo contra naturam, quia naturæ rationali opponuntur; hæc, utpote primario fini naturæ repugnantia, dicuntur proprie *peccata contra naturam*. D. Thom. a. 11.

145. Inq. 2. Quotplex sit peccatum contra naturam? R. dividi in quatuor species, quæ sunt pollutio, sodomia, bestialitas, & modus innaturalis concubandi. Omnes isti modi intra genus luxuriæ sunt peccatum grave: quia omnes graviter opponuntur magis, aut minus fini

generationis. Alii addunt quintum modum, nempe congressus cum Doemone; sed hic reducitur ad bestialitatem, cum sit accessus ad rem alterius speciei.

146. Inq. 3. An pollutio, sodomia, & bestialitas differant specie? Resp. affirm. constat ex propositione 24. damnata ab Alexand. VII. *Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ: ideoque sufficit dicere in confessione procurasse pollutionem*. Falsitas hujus propositionis facile percipitur: quia quilibet ex his modis importat peculiarem turpitudinem contra castitatem, & specialiter repugnat fini generationis: nam pollutio impedit conjunctionem maris, & foeminae; idem efficit sodomia, profundendo semen in vasa non congrua; idem etiam agit bestialitas semen effundendo in vas, non solum incongruum, sed alterius speciei. Idcirco bestialitas est majus flagitium, quam pollutio, & sodomia, ergo pollutio, & sodomia, & bestialitas differunt specie. Modus autem innaturalis concubandi non semper est peccatum grave, nisi quando fit cum periculo effundendi semen extra vas, aut præpostere frequenter.

## PUNCTUM II.

## De pollutione.

147. Inq. 1. Quid, & quotplex sit pollutio? R. quod est duplex: alia *involuntaria*, quæ absque ullo consensu in somnis, aut in vigilia contingit. Alia *voluntaria*, quæ directe, aut indirecte queritur. Hæc est prima, & minor species vitii contra naturam: & *definitur communiter: voluntaria seminis effusio*.

148. Inq. 2. An pollutio sit jure naturæ prohibita, & intrinsece mala? R. affirm. constat ex propos. 49. ab Innoc. XI. damnata *Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali*. Quod ipso jure naturæ, & non tantum divino sit prohibita pollutio, liquet ex eo, quod est contra ipsam naturam, & finem prolis ab ipsa intentum, ut supra diximus. Merito ergo proscribitur est propositio: cujus falsitatem, etiam ethnici agnoverunt: ut

cons-

constat ex Martiali epig. 42.

149. Objic. Semen est veluti lac, sanguis, sudor, aut urina, quorum expulsiō non est contra ordinem naturæ; ergo idem de seminis effusione. R. neg. ant. quia sanguis, lac, &c. ex se ordinantur ad conservationem individui, in quo snt: ideo quoties ad ejus salutem convenit eorum profusio, non prohibetur a natura; semen vero solum ordinatur a natura ad generationem similis in specie: unde ob nullum alium finem emitti valet absque peccato. Et licet membrum, aut alia pars hominis abscindi possit ad totius conservationem, hoc ideo est, quia pars ordinatur ad totum; e contra cum semen solum ordinetur ad generandum, ob nullum aliud motiūm valet effundi, nec ad sanitatem, aut vitam conservandam potest honestari ejus effusio.

150. Inq. 3. An pollutio propriis tactibus habita distinguitur specie a pollutione tactibus foemine dormientis, aut pueri doli incapacis peracta? R. affirm. quia tactus sunt ejusdem specie, ac eorum objectum, ergo diversificantur juxta diversitatem objecti: ac proinde tactus, oscula, amplexus, desideria, aut delectatio morosa, ex se, vel cum quibus pollutio habetur, debent exprimi in confessione juxta differentiam personæ solutæ, uxoratæ, consecratæ, vel alterius circumstantiæ: tum, quia ultra malitiam pollutionis adest alia tactus, seu complacentia illius personæ: tum quia omnia præfata speciem sumunt ab objecto suis circumstantiis vestito.

151. Inq. 4. An liceat per tactus expellere semen corruptum saluti noxium? R. neg. quia nequeat fieri, quin simul adsit aliqua venerea delectatio, atque veri seminis effusio, ergo omnino reprobandum est. Si enim id permetteretur, quilibet posset sibi persuadere habere semen corruptum sanitati nocivum, cum magno animarum, & speciei humanæ detrimentum.

152. Inq. 5. An si uxorata immediate post coitum cum conjuge, & hujus seminationem, se tactibus excitet ad seminandum, committat peccatum pollutionis? R. neg. quia talis seminatio est complementum præcedentis copulæ, aut moraliter idem. Debent tamen conjuges omni

Tom. I.

cautela procedere, ut, dum possint, opus conjugii simul perficiant. Uxorata post copulam non tenetur diu supina manere, ne semen effundatur, nam, sublata prava intentione illud perpendi, ex justa causa, aut naturali necessitate, potest se erigere, aut quidpiam aliud agere; ita ut si effusio sequatur, reputanda est involuntaria.

153. Inq. 6. An procurare distillationem aliquam notabilem sit peccatum grave? R. affirm. Pro cujus claritate nota, præter urinaam, & semen dari tertium humorem viscosum, & semini similem, & de hoc est præsens dubium. Igitur semper est peccatum grave procurare distillationem; nam licet distinguitur substantialiter a semine, est tamen ei valde affinis, secumque affert commotionem libidinosam, ergo nequit sponte procurari absque peccato gravi. Imo omnis stillatio, etiam levis, consulto procurata est gravis: quia non datur parvitas materiz. Est similiter peccatum grave illam pro viribus non vitare, dum provenit a causa vitiosa: ut ex aspectu, aut locutione alicujus personæ, ad quam inordinate afficitur, quam caute fugere debet, qui non vult perire. Si enim facile potest, & non fugit, interpretative illam querit. Devita ergo occasionem, si vere vis peccatum vitare. Quod optime docet D. Thom. opusc. 64. *de fluxu libid.*

154. Si autem hujusmodi distillatio difluat ex naturali calida, & humida complexione, aut ex infirmitate, vel ex causa honesta audiendi confessiones, aut legendi quod convenit, aut etiam ex allocatione mere sociali, & urbana, seclusa prava intentione, & periculo, despicienda est, nec de illa amplius curandum, quam de emissionem sudoris, aut alterius humoris superflui, quo natura se exonerare solet. Uno verbo, nullo modo queratur in se, nec in sua causa. Dum notabilis est, & facile possit, vitetur; de cætero, omnino despiciatur.

## PUNCTUM III.

## De pollutione voluntaria in causa.

155. Inq. 1. Quando appositio alicujus cause, ex qua prævidetur pollutio se-

Ffff

cu-

catura, sit peccatum grave? Dubium hoc magna ex parte decisum manet in materia de peccatis, ubi distinctio causarum per se, & per accidens, gravium, levium, & mediarum explanata est tract. v. a n. 122.

156. Unde juxta ibi exposita, breviter R. 1. quod apponens causam per se influentem in pollutionem absque alio effectu, vel si alium habet, non nisi media pollutione, peccat graviter: quia ponens causam, quæ ex se producit effectum graviter malum, nullumque alium habet bonum, nisi medio malo, eadem voluntate, quæ vult causam, vult etiam effectum graviter malum ex ea necessario secutum, ergo apponens dictam causam pollutionis peccat graviter: vult enim illam in sua causa. Unde graviter peccat medicus præscribens, & infirmus recipiens medicinam, quæ per se tendat ad seminis expulsionem, esto inde sequeretur sanitas: quia seminis expulsio nullo modo ordinata est a natura ad sanitatem hominis.

157. R. 2. Quod si causa per se influens in pollutionem habet æque simul alium effectum bonum, ut curationem, potest licite apponi ex gravi necessitate: sicut medicina æque tendens ad salutem matris, ac ad foetum expellendum, potest matri ægrotanti applicari, intendendo sanitatem, esto alias sequatur foetus expulsio extra intentionem. Unde valet chirurgus curare verenda foeminae ex gravi necessitate, licet ex tali curatione sequatur pollutio minime intentata in agente, aut patiente. Si autem seclusa necessitate gravi, apponatur talis causa, ipsa, & pollutio inde secuta, proculdubio gravis est culpa. Nam velle absque gravi necessitate apponere causam per se influentem in pollutionem, est velle ipsam pollutionem, sicut velle bibere multum vinum, est velle ebrietatem.

158. R. 3. Quod apponere causas leves, ut aspectus mulieris, aut tactus subitus exterior, aut ejus allocutio, seclusa prava intentione, regulariter non excedit venialem: quia causæ leviter influentes in pollutionem non sunt simpliciter causæ; sed secundum quid, & remore, nec moraliter possunt impediri ob earum frequentem occursum. Verum ins-

picienda est conditio cujusque subjecti: nam causæ leves respectu unius, possunt nimis influere respectu alterius, qui id eo tenetur sub gravi eas vitare. Unde si tibi aspectus, aut locutio hujus foeminae est occasio ruinae spiritualis, debes ab his abstinere, si absque gravi nota, aut incommodo possis. Igitur causæ leves accipiendæ sunt *respective* juxta diversitatem subjecti.

159. Idem sua proportionate teneas de causis mediis: ut aspicere obiter propria verenda, aut imagines obscenas per transenam, aut animalium congressus, secluso periculo, & mala intentione: quia prædictæ causæ non efficaciter influunt in pollutionem, nisi ex inclinatione subjecti ad venerea: ergo, hac deficiente, solum erit regulariter veniale eas apponere. In omnibus supponitur, quod si intendatur pollutio, quælibet appositio causæ, esto levis, erit mortalis: quia gravis malitia in prava intentione adest. Sed dicta, & dicenda intelligenda sunt *ex se*, & seclusa prava dispositione subjecti.

160. Inq. 2. An apponens causas per accidens pollutionis graviter peccet? Causæ per accidens aliæ sunt licitæ, ut lectio honesta instructioni deserviens, equitatio, accubatio hoc, aut illo modo, &c. Aliæ sunt illicitæ, ut immoderatus cibus, aut potus, & similes: quo supposito.

R. 1. Quod apponere causas licitas ex aliqua utilitate licitum est, esto ex eis præter intentionem, sequatur pollutio: quia quisque jus habet studendi, equitandi, & alia honesta faciendi. Si autem nulla adsit necessitas, aut utilitas eas apponendi, adhuc ajunt plures non excedere venialem; quod verum censemus, si ex quadam oscitantia, aut pigritia, sine plena advertentia periculi pollutionis apponantur: ut si cubans tali positura ex desidia nollet mutare positionem; quoniam si quis cum plena prævisione securitæ pollutionis, absque ulla utilitate, saltem commodius capiendi somnum, ita persisteret, vix a gravi culpa excusari posset.

161. R. 2. Quod apponens causas per accidens graviter illicitas, ut ebrietatem, cum prævisione pollutionis, graviter peccat, non solum in materia intemperantiæ, sed, & luxuriæ: quia prævidens effectum graviter malum, tenetur sub gravi

vi illum impedire, si possit: ergo prævidens pollutionem inebrietate securitæ, & potens, imo debens illam impedire, ad id tenetur sub gravi: ac proinde graviter peccat ebrietatem apponens, & pollutionem non impediens.

162. Si autem causæ per accidens non sint graviter illicitæ, eas apponere, esto cum prævisione pollutionis, regulariter venialem non excedit: quia difficile admodum est vitare causas venialiter illicitas, aut leviter per accidens influentes: ut levis immoderatio in essu ciborum calidorum, aut in vini potu. Unde licet aliquando, etiam ex appositione levis causæ, possit graviter delinqui; regulariter tamen illius applicatio venialem non excedit.

## PUNCTUM IV.

## De pollutione nocturna.

163. Inq. 1. An pollutio nocturna secundum se sit peccatum? R. neg. quia ubi non est voluntarium, nequit esse peccatum; sed pollutio nocturna, quæ in somnis contingit, in se non est voluntaria: cum judicium rationis eo tempore sit omnino ligatum, ergo in se considerata non est peccatum. Ita D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 5.

164. Objic. 1. Meritum potest dari in somnis, ergo & demeritum: ac proinde pollutio in somnis habita potest in se esse peccaminosa. Anteced. constat ex eo, quod Salomon meruit a Deo sapientiam: ut dicitur 2. Paralip. 1. 11. R. quod Salomon non meruit sapientiam in somnis: sed ex desiderio prius habito Deus in somnis ei sapientiam infudit. Ut docet Angel. *ibi ad 1.*

165. Objic. 2. experientia constat, quod in somnis quis argumentatur, sæpe etiam consentit, & plerumque dissentit objecto turpi, ergo datur in dormiente, quidquid requiritur ad peccatum. R. quod dormiens, cum libertate, & usu actuali rationis careat, nec argumentari, nec consentire proprie valet: idcirco nec mereri, aut demereri potest. Verum est, quod dormiens se gerit juxta morem sibi assuetum: unde sensus interni recogitant in somno species antea sensatas:

quæ ratione conveniens est, quod ante somnum, quæ recta, & honesta sunt, cogitemus.

166. Inq. 2. Quando pollutio nocturna sit peccatum in sua causa? Ante responsionem observa, triplicem dari causam pollutionis nocturnæ juxta D. Th. loc. cit. Prima est corporalis, nempe abundantia humoris seminalis, aut nimia corporis calefactio. Secunda est animalis intrinseca, nimirum cogitatio de rebus veneris, quæ duplex esse potest: vel pure speculativa, ut lectio, aut disputatio honesta; vel non pure speculative, sed simul carnalis, quando nempe de illis cum aliqua affectione carnali cogitur. Tertia causa pollutionis est spiritualis extrinseca, nempe Dæmon commovens phantasmatum dormientis ad semen emittendum. Igitur:

167. R. 1. Quod pollutio nocturna si procedat ex mera abundantia humoris, a quo in somnis exoneratur natura, non est peccaminosa; quia supponitur mere naturaliter effluere. Quoniam si procedat ex causa culpabili, ut ex nimio potu, aut ebrietate mortali, erit peccatum grave, supposita ejus prævisione. Nam hoc modo idem est de pollutione nocturna, ac de ea, quæ contingit in vigilia, quæ ex prævisione causæ graviter illicitæ, esto per accidens, consurgit graviter culpabilis. Si autem procederet ex ciborum calidorum essu innoxio, quia alii cibi non habentur, tunc a culpa vacaret pollutio inde secuta, vel ad summum esset venialis, si adfuit aliquis excessus in ciborum sumptione.

168. R. 2. quod si pollutio in somnis contingat ex causa pure speculativa: ut de lectione utili, & disputatione honesta de veneris, immunis erit a culpa: quia hæc nec datur in pollutione, nec in sua causa. Verum si disputatio, aut lectio non fuit pure speculativa, sed mixta cum carnali affectione, juxta gravitatem hujus causæ, erit pollutio gravis, aut levis culpa.

169. R. 3. quod si pollutio contingat ex Dæmone commovente dormientis species ad venerem inducentes, absque ulla culpa præmissa ex parte somniantis, nullum est peccatum; quia est omnino involuntaria. Cæterum, qui hæc pluries in

somnis aperitur, si negligit se præparare ad positivam reluctantiam, Dei opem, Angelique custodis, & aliorum sanctorum protectionem implorando, tunc erit culpabilis juxta malitiam negligentie; quapropter, qui similes patitur illusiones, devoto, ac demisso corde dicat cum Ecclesia: *Procul recedant somnia, & noctium phantasmata; hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora.*

170. Inq. 3. An sit peccatum non resistere positive pollutioni innoxie in somnis inchoatae, & in vigilia prosequenti? Pro resolutione nota, quod pollutio in somnis tripliciter potest evenire. 1. Ita ut tota in somnis consumetur. 2. Ita ut motus pollutionis inchoetur in somnis, & diffuatur in vigilia. 3. Ita ut ipsa pollutio incipiat emitti partim in somnis, partim in vigilia. Igitur apud omnes pollutio consumata in somnis est peccatum inculpabilis: quia supponitur omnino involuntaria. Circa alias vero.

171. R. quod si pollutio, seu ejus emissio partim sit in somno, & partim in vigilia, non est peccatum ejus cursum permittere absque ullo consensu venereo; quia ex una parte nullum supponitur peccatum in sua causa; alias prohibitio illa, quæ naturæ impetum interrumpere, sanitati corporis non parum noceret: cum semen vi retentum, & cito corruptum corpus inficiat, ergo potest absque culpa permitti, dummodo absit omnis complacencia venerea.

172. Quando autem semen e lumbis effluere incoepit, & cursum intra vasa interna jamjam inchoavit, esto effusio sit in vigilia, plus periculi affert. Tamen, supposita recta voluntate, erecta in Deum mente, & dissensu totali interno, potest etiam permitti ob eandem rationem: nempe quod ejus principium est innoxium, & ejus retentio valde salutis noxia. Verum in tam lubrica materia summa cautela opus est. Unde ex conscientie puritate, & morum integritate illorum, qui talia patiuntur; desumenda erit regula judicandi eorum innocentiam, aut culpæ qualitatem. Compertum tamen est, quod si accidat pollutio in semiplena vigilia, esto adsit delectatio carnalis, non est lethale propter defectum per-

fectæ deliberationis.

173. Inq. 4. An possit quis gaudere in vigilia de pollutione naturali in somnis habita ob sanitatem corporis? R. 1. quod si pollutio nocturna proveniat ex tactu proprio, vel alieno, vel ex aliquo turpi somno, aut cogitatione venerea, est objective mala, ideoque nemo potest de illa gaudere, aut delectari; sicut nec de homicidio, aut fornicatione in ebrietate perpetratis: quia sunt objective mala. Similiter gaudium, delectatio, aut desiderium, esto inefficax, si habeantur cum commotione carnis, aut motu sensuali sunt pariter peccaminosa: quia tunc prædicti actus sunt venerei, & lascivi, & consequenter objective mali. Unde præcipua difficultas solum procedit de pollutione omnino naturali, an possit appetiti inefficaciter, vel de ea delectari, aut gaudere propter corporis sanitatem? ad quam.

174. R. 2. neg. quia affert periculum in praxi. Aliud est gaudere de pollutione, aliud de sanitate. Hoc est licitum, non vero illud propter periculum, quod affert secum. Eadem ratione appetere sanitatem licet; non vero eam appetere media pollutione quantumvis innoxia, vel naturali.

175. Dices pollutio non est adeo intrinsece mala sicut homicidium, ergo poterit quis illam appetere inefficaciter, vel de ea gaudere propter sanitatem.

176. R. neg. conseq. nam esto non sit mala physice accepta, ut mera exoneratio naturæ, sicut est sudor, & urina; tamen cum in praxi sit fere impræscindibilis delectatio carnalis, ideo dicimus gaudium de illa deliberatum non esse admittendum, licet admittatur gaudium de exoneratione naturæ, aut de corporis sanitate jam subsecuta. Doctores concedentes posse appeti pollutionem mere naturalem, aut de ea gaudere propter sanitatem, intelligendi sunt speculative, & in sensu metaphysico, quo sensu mala non est. Sed cum materia sit adeo lubrica, appetitio, seu gaudium de illa moraliter loquendo fugi, & repelli debet.

177. P. Concina lib. 8. in Decalog. disert. 2. cap. 13. a num. 48. fuso calamo discutit hanc controversiam, clamantans

tans contra Salmanticenses scholasticos, quorum doctrinam rejicit tamquam falsam, & laxam; sed eandem doctrinam tradit paulo inferius. Nam n. 58. ait: *emissio seminis in genere physico considerata, non videtur secundum se mala. Nam, si secundum se metaphysico in sensu mala esset, neque per copulam conjugalem licita fieri posset, quod est absurdum. Quare non video, cur illa physica emissio seminis, quatenus est mera exoneratio naturæ, omni vitiosa causa juncta, ut est emissio urine, sudoris, salive dicenda sit peccatum materiale, de quo sane numquam gaudere licet.*

178. Non amplius dicunt perdocti Salmanticenses. Si licet gaudere de emissionem naturalem seminis, sicut de emissionem sudoris: ubi falsa, ubi laxa Salmanticensium doctrina? Prefecto P. Concina in morem sibi vertit, suggere prius Salmanticensium doctrinam, deinde eam quadam verborum circumlocutione oppugnare. Nos vero solum dicere volumus, doctissimos Salmanticenses eviscerare rerum naturas doctrina vera, & sana, esto ob materiæ lubricitatem, ut ipsi moment, in praxi caute sit accipienda, & recte intelligenda. Summopere vero poterit quis mirari, quod appellet falsam, & laxam sententiam, cui *ibidem* n. 57. fatetur D. Thom. favere, & ipsum antea admisisse, eademque in presenti admittit, ut patet ex verbis citatis.

#### PUNCTUM V.

##### De sodomia.

179. Inq. 1. Quid sit sodomia, & unde dicatur? R. est *accessus ad non debitum sexum, puta masculi ad masculum, vel femina ad feminam.* Dicitur *accessus*, per quod differt sodomia a pollutione, quæ absque concubitu haberi potest, & convenit cum aliis speciebus luxurie, quæ per concubitum perpetrantur. Additur *ad non debitum sexum*: per quod distinguitur ab omnibus aliis luxurie speciebus, quia reliquæ sunt circa debitum sexum, præter bestialitatem, quæ est coitus cum altera specie. Dicitur *sodomia* a sodomitis, seu civibus Sodomæ, qui præ omnibus aliis nationibus.

Tou. I.

bus, huic nefando vitio dediti erant; ita ut tam viri, quam parvuli hac turpitudine sedarentur. Ut constat ex cap. 19. Genes. vers. 5.

180. Peccatum sodomie est adeo nefandum, & gravissimum, ut propter illud appellerent pessimi viri Sodomitæ in sacra pagina. Est gravius pollutione: quia licet utraque sit contra naturam, sodomia addit aliam detestabilem deordinationem infundendo semen in vasa opposita fini naturæ, & generationis; quapropter gravissimis pœnis plebitur, ut iustia patebit. D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 12. ad 4.

181. Inq. 2. An concubitus foemina cum alia foemina sit vere sodomie peccatum? R. affirm. quia sodomia est concubitus ad non debitum sexum, quod proprie adest, dum foemina cum alia congregitur. Unde sive sit in vase naturali, sive in præpostero, sive cum alio instrumento, sive absque illo, datur in tali concubitu vera sodomia in confessione aperienda. Gravius est flagitium, dum sit medio instrumento, quia præter indebitum sexum, indebito utitur instrumento.

182. Inq. 3. An concubitus viri cum foemina in vase præpostero sit vera sodomia? R. quod metaphysice, & essentialiter non est proprie sodomia; tamen in foro externo, ut sodomia reputatur. Quoad primam partem constat: quia non est concubitus ad non debitum sexum. Verum cum tantum habeat similitudinem cum ea, est sodomia similitudinaria; & in foro externo frequenter poena ordinaria sodomie plebitur: quod non efficit, ut sit proprie sodomia, sed peccatum contra naturam.

183. Inq. 4. An tactus viri cum viro, ex quibus pollutio sequitur, sint peccatum sodomie? R. neg. quia non est concubitus, nisi haberent affectum ad vas præposterum: quo in casu hoc desiderium, aut affectus malitiam sodomie indueret. Pollutio, seu congressio habita in ore sive viri, sive mulieris esto non sit sodomia, affert tamen turpissimam deformitatem in confessione necessario aperiendam.

184. Inq. 5. An circumstantia agentis, vel patientis sit explicanda necessario in

Gggg

con-

confessione? R. affirm. quia in agente pollutio est *per se*; in patiente vero quasi *per accidens*: quapropter si hic illam habeat, debet eam distincte exprimere.

185. Inq. 6. An in peccato sodomie circumstantia consanguinitatis, vel affinitatis addat speciem incestus in confessione aperiendam? R. affirm. quia non minus, sed amplius offenditur reverentia, & pietas cognatis debita in peccato sodomie, quam in aliis luxurie peccatis, ergo sicut in iis explicari debet circumstantia incestus, ita & potiori ratione in peccatis sodomie. Cæterum in huiusmodi congressu sodomitico non contrahitur affinitas; quia hæc necessario postulat copulam aptam ad generationem, qualis non est concubitus sodomiticus, nec etiam propter eandem rationem ex copula spadois; licet in utroque casu possit adesse circumstantia incestus.

## PUNCTUM VI.

## De penis contra sodomitas.

186. Inq. 1. Quæ sint penæ contra sodomitas impositæ? R. quod hoc execrabile crimen in primis iure divino plebitur pena mortis: *Qui dormierit cum masculo coitu femineo, uterque operatus est nefas, morte moriatur. Levit. 20. 13.* Eandem mortis poenam assignat D. Paulus *ad Rom. 1.* non solum committentibus, sed etiam consentientibus hoc detestabile flagitium. Juxta D. Th. in nocte nativitatis Domini omnes sodomitæ extincti fuerunt, ne natura, quam sumpserat, tanta immunditia fæderetur. Mare mortuum successit loco Sodomæ, & Gomorræ, ne terra eo criminis infecta amplius videatur.

187. Jure humano etiam apud Ethnicos pena capitis, & ignis puniebatur sodomita. Jure civili authenticarum similiter mortis penæ subjacet. Jure Hispanico pena combustionis, & confiscationis bonorum merito plebitur. Jus canonicum excommunicationis anathemate puniit laicos sodomitas in *cap. Clerici, de excess. Prælat.* Clericos, sive sæculares, sive regulares, præter alias poenas iure

communi latas degradari, & potestati seculari tradi decrevit Pius V. in Const. edita 1568.

188. Inq. 2. An clericus sodomita in concubitu semen non effundens præfatas poenas incurrat? R. neg. penæ enim sunt odiosæ, proindeque restringendæ, ergo esto clericus accedens ad sexum, & vas non debitum reus sit peccati sodomie, non vero poenarum, aut reservationis, semine non effuso, in quo stat consumatio peccati. Idem est dicendum de clerico accedente ad foeminam in vase præpostero, etsi ibi seminet: quia non est perfecta sodomia, cum non accedat ad sexum indebitum. Idem etiam tenendum de clerico semel, aut bis perpetrante sodomiam, etiam consummatam: quia prædictæ poenæ sunt impositæ contra clericos eam *exercentes*; nemo autem exercere proprie dicitur, quod semel, aut raro peragit. Verum accedens ad foeminam in vase præpostero semen effundendo incurrit reservationem, ubi est reservatum peccatum contra naturam: quia esto non committat sodomiam perfectam, perpetrat tamen peccatum contra naturam consumatum. Similiter omnis clericus, sive agens, sive patiens sodomiam incurrit ejus poenas, quia uterque est vere sodomita.

189. Inq. 3. An clericus sodomiam exercens sit ipso facto ante sententiam iudicis privatus in foro conscientie ab omni officio, & beneficio jam possessis? R. neg. quia nulla pena privans iure jam acquisito incurritur ante sententiam iudicis, saltem declaratoriam criminis; alias teneretur quis spoliare, & prodere se ipsum. Verum est, quod si publicus sodomita existeret clericus, deberet abstinere ab omni ministerio ecclesiastico propter indecentiam, & scandalum.

190. Inq. 4. An clericus bestialitatem exercens incurrat præfatas poenas? R. negative, quia lex poenalis extendi non debet de uno in alium casum, esto hic gravioris malitiae sit, quando in utroque non eadem ratio, & omnimoda similitudo invenitur, quæ minime adest inter bestialitatem, & sodomiam, quia hæc facilius, quam illa committi potest. Pro coronide nota, sodomitam esse suspectum de hæresi, quia non bene sen-

tire præsumitur de immortalitate animæ, ideoque in Lusitania, aliisque regnis ejus punitio ad Inquisitores Fidei private pertinet. Verum iure Castellæ ejusmodi delictum est mixti fori, proinde ad præventionem sive ab Inquisitoribus, sive a iudice sæculari puniri valet. Ab eo autem absolvi non potest nisi per privilegium; est enim reservatum S. Tribunali, sicut cætera crimina de hæresi suspecta.

## PUNCTUM VII.

## De bestialitate.

191. Inq. 1. Quid sit bestialitas? R. est concubitus cum individuo alterius speciei. Bonitas hujus definitionis constat: quia per ly *concubitus* convenit bestialitas cum aliis speciebus luxuriæ, quæ per concubitum perpetrantur; & per aliquas particulas differt ab eis: quia sola bestialitas committitur cum individuo alterius speciei.

192. Inq. 2. An diversitas bestiarum, cum quibus delictum hoc perpetratur, debeat exprimi in confessione? R. neg. quia

diversitas specierum de materiali se habet ad confessionem; cum formale, & specificativum peccati consistat in accessu ad alterius speciei individuum. Concubitus cum Doemone sive incubo, sive succubo peccatum est bestialitatis, & simul superstitionis, propter societatem cum eo per accessum initam religioni oppositam. Præter hanc duplicem malitiam potest ejusmodi congressus alias diversas habere juxta diversitatem affectus, & representationis.

193. Hujus peccati gravitas satis constat ex sua detestabili deformitate, propter quam iure divino poena mortis punitur: Ideo omnia flagitia contra naturam excedit. Jure canonico mulier succumbans bestie, simul cum ea occidi decernitur: quod etiam præcipiebatur *Levitico 2. 15.* Eadem poena capitis imponitur iure Castellæ; imo in aliquibus Hispaniæ Provinciis reus bestialitatis cum bellua ipsa igne crematur. Sed jam calamus erubescit de vitio adeo immundis peragere, quæ nisi necessitas cogeret, potius ignorare, quam scribere oporteret. Utinam omnia cedant in majorem Dei gloriam!

## TRACTATUS DECIMUS OCTAVUS

## DE SEPTIMO, ET DECIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

## CAPUT I.

## De justitia, &amp; jure.

## PUNCTUM I.

## Notio, &amp; divisio justitiæ.

1. Inq. 1. Quid sit justitia? R. est constans, & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi. Dicitur voluntas, id est actus voluntatis; residet enim justitia in voluntate tamquam in subjecto proprio: quia est virtus moralis rectificans voluntatem, & partem appetitivam. Dicitur constans, id est, non transiens, sicut actus, sed permanens, sicut potentia. Additur perpetua, hoc est, ex parte